Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

144

circuire illam insulam, uiderunt aquas largissimas manare ex diuersis fontibus plenas piscibus. Dixit autem sanctus brendanus fratribus suis. faciamus hic diuinum opus, sacrificemus deo inmaculatum holocaustum, quia hodie est cena domini. et ibi manserunt usque in sabbatum sanctum pasche. Perambulantes illam insulam inuenerunt diuersos greges ouium unius coloris. id est albi, ita ut non possent ultra uidere terram pre multitudine ouium. Conuocatis fratribus suis brendanus dixit illis. Accipite que sunt necessaria ad diem festum de grege. fratres uero festinabant secundum mandatum uiri dei ad gregem. Qui statim acceperunt de grege unam ouem. cumque illam alligassent per cornua sequebatur quasi domestica. illum qui tenebat ligatam in manu sua. usque ad locum ubi stetit uir dei. Qui dixit uni de fratribus. Accipe agnum inmaculatum de grege. Qui festinauit. et fecit sicut sibi iussum fuerat. Cumque illi parassent omnia ad opus crastine diei, ecce apparuit illis uir habens in manu sportam plenam subcinericiis panibus et ceteris que necessaria erant. Cumque illi parassent omnia ad opus. Cumque hec posuisset ante uirum dei cecidit pronus super faciem suam tribus uicibus ad pedes sancti patris dicens. Unde michi inmerito o margarita dei ut pascaris in istis sanctis diebus de labore manuum mearum. Brendanus eleuato illo de terra et dato osculo dixit. fili dominus noster ihesus christus preposuit nobis locum ubi celebrare possimus suam sanctam resurrectionem. Dum hec dixisset. cepit obsequium famulorum dei et omnia. Cui ait predictus uir: Pater hic celebrabis istud sabbatum sanctum, uigilias quoque et missas. cras in insula quam uidetis preposuit uobis deus celebrare suam resurrectionem. Dum hec dixisset. cepit obsequium famulorum dei et omnia necessaria que erant in crastinum preparare. finitis omnibus et allatis de naui. dixit brendano predictus uir: Vestra nauicula non potest amplius preparare [portare]: Ego uobis mittam post vii. dies que uobis necessaria sunt de cibo et potu usque in pentecosten. Brendanus dixit. Unde tu nosti ubi erimus post vii. dies. Qui ait. Hac nocte eritis in illa insula quam uos uidetis prope et cras usque in sextam horam, postea nauigabitis ad aliam insulam que est non longe ab ista insula. contra occidentalem plagam, que est paradysus auium.

ibique manebitis usque in octauam pentecostes. Interrogabat quoque illum brendanus. quomodo oues potuissent esse tam magne sicut ibi uise sunt. Erant enim maiores quam boues. Cui ille dixit. Nemo colligit lac de ouibus in hac insula. nec hiemps distringit eas. sed in pascuis semper morantur die noctuque. ideo maiores sunt quam in uestris regionibus. Profectique sunt ad nauim. et ceperunt nauigare data benedictione uicissim. Cum autem uenissent ad aliam insulam cepit illa nauis stare antequam portum illius potuissent tenere. Sanctus brendanus precepit fratribus exire de naui intus in mare. et ita fecerunt. Tenebant nauim ex utraque parte cum funibus usque dum ad portum uenit. Erat autem illa insula petrosa sine ulla herba. silua rara erat ibi. et in littore illius nichil de harena fuit. Porro pernoctantibus in orationibus et uigiliis fratribus foris naui. uir dei sedebat intus. Sciebat enim qualis esset illa insula. tamen noluit indicare ne fuissent perterriti. Mane autem facto precepit sacerdotibus ut singuli missas celebrarent. et ita fecerunt. Cumque sanctus uir brendanus et ipse cantasset in naui, ceperunt fratres carnes crudas portare foras de naui. ut condirent sale illas, simul ferentes et pisces. quos secum tulerunt de alia insula. Cum hec fecissent posuerunt cacabum super ignem. Cum autem ministrassent igni ligna. et feruere cepisset cacabus, cepit illa insula se mouere sicut unda. fratres uero ceperunt currere ad nauim. deprecantes patrocinia sancti patris qui singulos illos manibus trahebat intus. Relictis omnibus que portauerant in illa insulam. ceperunt nauigare. Porro illa insula ferebatur in oceanum. immo poterant uidere ignem ardentem super duo miliaria. Sanctus brendanus narrauit fratribus quid hoc esset dicens. fratres. admiramini quod hec fecit insula. Aiunt. [...] Admiramur ualde: nec [...] non et in[...] [...]gens pauor obpressit nos. Qui dixit illis. filioli. nolite expauescere. deus enim reuelauit michi hac nocte sa[...]cramentum huius rei. Insula non est ubi fuimus, sed [...] piscis prior omnium natancium in occeano. [...] querit semper suam caudam. ut simul [...] iungat capiti. et non potest pre longitudine. qui habet nomen iasconius. Cum autem nauigassent iux-

Hic uenerunt ad aliam insulam. que fuit super dorsum piscis Jasconij.

Hic habes de insula una in occidente que uocata est paradisus auium. Et ille aues fuerunt mirabiles cantabant et loquebantur sicut homines. et ympnum deo cantabant. postea aliam insulam que erat in dorso unius piscis. qui piscis sicut mons maximus. Jasconius uocatur. et cum se mouet. tunc mouetur insula sicut aqua maris. Inuenit et sanctus brendanus in prima insula oues magnas sicut boues.